

Peter Hinckelmann Petrus Loft

**De Papismo Disputatio Anasceuastica Vigesima Tertia. Continens praecipuos  
Romanae Synagogae errores refutatos, quos ea fovet in locis De Indulgentiis Et  
Calamitatibus Ecclesiae**

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756813387>

Druck Freier  Zugang



P. Hirkelmann.

R. N. theol. 1607. 8.

- Continentes
- ① Joh. Linschius, de deo uno et vero 1607
  - ② Joach. Hammingius, de communicatione majestatis 1607
  - ③ Joach. Fischerus, de peccato originali 1607
  - ④ Heid. Kirchorius, de arbitrio hominis 1607
  - ⑤ Joh. Redekerus, de discrimine legis ev. 1607
  - ⑥ Henr. Tectorius, de justificatione 1607
  - ⑦ Joach. Jordenius, de bonis operibus 1608
  - ⑧ Joh. Linschius, de sacramentis 1608
  - ⑨ Joach. Hammingius, de sacramento coenae 1608
  - ⑩ Heid. Kirchorius, de sac. confirmationis 1608
  - ⑪ Joh. ab Huda, de traditionibus 1608
  - ⑫ Paul. Brunnus, de votis monachatu 1608
  - ⑬ Nic. Fridricus, de adiaphoris 1608
  - ⑭ Henr. Hammerus, de oratione 1608
  - ⑮ Petr. Hoff, de indulgentiis 1608
  - ⑯ Joh. Albinus, de morte 1608

119

DE PAPISMO

DISPUTATIO ANASCEVASTICA  
VIGESIMA TERTIA.

*Continens præcipuos Romanæ Synagogæ erro-  
res refutatos; quos ea fovet in locis*

De

INDVLGENTIIS  
ET CALAMITATI-  
BUS ECCLESIAE,

*Reverendæ facultatis Theologica in Academia  
Rostochiensis consensu.*

Moderatore & Doctore S. S. Spiritu:

Sub Præsidio

M. PETRI HINKEL MANNI

*Verbi Divini ministri.*

ad privatam *exhibitionem* propositam

à  
PETRO LOFT  
Wilstriensi Hof.

*Horis locq; consuetis. 5. Calend. Maij.*

ROSTOCHII,

Litteris Reusnerianis An. 1608.





DISPUTATIO XXIII.  
DE INDULGENTIIS ET  
CRUCE SEU AFFLICTIONIBUS  
ECCLESIAE.

παραλογισμα.

I.

**D**Eplorandum, proh dolor, tam varia, tam nova, atq; adeo inaudita olim, neq; ab Apostolis tradita, nec veteris & vera antiquitatis testimonia habentia, pseudonymos Monachos & Jesuitas comminisci dogmata, quorum primas sibi videntur vendicare Indulgentia, quibus tanquam nundinationis mensis, gratiam DEI, remissionem peccatorum & caelum ipsum turpiter cauponantur.

II. Quas etsi totius Germaniae Lumen, religionisq; Christianae promus condus Rev. pater D. D. Lutherus p. m. adjuvante DEO, potenter evertit, atq; ex Ecclesia profligavit, ut profligatis istis, excogitata à Romanensibus Trapezitis quaestura, toti mundo foeteret: tamen cum tam bonum lucri odorem inde extrahant & percipiant Pontificij, non veretur Trid. concilium sub interminatione anathematis doctrinam de Indulgentijs Ecclesiae rursus obtrudere.

III. Verum nos illam, nulli S. Scripturae fulcro innixam, neq; ex Sacro, sed ex Pontificiorum fonte, pro suo iudicio & sententia extructo, promanantem, ad ultimam usq; Thulen merito arbitramur remittendam. Nihil enim utilitatis, sed multum incommodi, nihil salutis, sed multum inde oritur damni, ita ut conscientiae onere peccatorum onerata, exonerari nequeant, sed veluti prostratae jacentes, vitam aeternam plane desperare cogantur.

A 2

IV. Quare

V. Quare ut huic malo medeamur & nervos figmenti illius, pro quo stabiliendo & defendendo, tanquam pro aris & focus pugnant Jesuitæ, conscindamus, non inutile erit, si doctore & moderatore S. S. ordine & tempore ita efflagitantibus, pauca eademq; præcipua Pontificiorum argumenta hac vice proponamus examinanda. Capita autem hujus tractatus erunt duo.

I. Continebit figmentum Pontificiorum de indulgentijs.

II. Erit de cruce & calamitatibus Ecclesiæ.

### CAPUT PRIMUM.

#### De Indulgentijs.

#### Primus Error.

Conc. Trid.  
Sess. 25.  
Bellarm. lib.  
1. c. 3. & 10.  
de indulg.

Potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ est concessa, & indulgentiarum usus populo Christiano maximè est salutaris.

### REFUTATIO.

I. In primo hoc errore duo sese nobis offerunt consideranda & refutanda. 1. Potestas indulgentiarum à Christo Ecclesiæ concessa. 2. Usus illarum populo Christiano maximè salutaris. Quod primum attinet, tantum abest, ut indulgentiarum Ecclesiæ traditarum fundamentum ex S. Scriptura possit stabiliri, ut eidem potius è diametro repugnet. Nam quod Christus tales unquam vel docuerit vel dederit, quales Pontificij sibi fingunt pro placito indulgentias, nulla oratione, syllaba & apice S. S. demonstrabitur.

II. Habemus quidem indulgentias, sed hæc, sicut Mystiorum ac Phrygum termini, discretæ sunt ab illis. Non enim impetrantur auro aut argento, neq; per Bullas Pontificias, &c. sed consistunt in annunciatione & absolute remissionis peccatorum, omnis pœnae minus, quam culpæ (a) per & propter unicum & solum meritum, obedientiam, (b) sanguinem (c) & mortem (d) unius & solius (e) Jesu Christi, veri & unici mediatoris inter Deum & homines. (f)

a) Esa. 53, 4.  
b) Phil. 2, 8.  
c) 1. Joh. 1, 7.  
d) Ro. 4, 25.  
e) Esa. 63, 3.  
f) 1. Tim. 2, 5, 6.

III. Accedit præterea indulgentias à Pontificijs descriptas univèrsæ puriori Ecclesiæ prorsus fuisse ignotas, siquidem non possunt aut ulla

aut ulla patrum testimonia adduci, aut veteris Ecclesie exempla proferri, quod talis doctrina vel usus, ullo unquam tempore, usq; ad annos post natum Christum, mille & ducentos, in veteri Ecclesia fuerit. Et tamen Concilij Tridentini impudentia eò audacia processit, ut non vereatur fingere, potestatem conferendi indulgentias, Ecclesie à Christo esse concessam, eandemq; aversantes anathematis fulmine percutiat.

IV. Quod autem ex ritibus publicæ pœnitentiæ in veteri Ecclesia usitatae, quidam subsidia Pontificijs indulgentijs conscribere conantur, id prorsus alienum esse à chordâ, neq; cælum nec terram attingere, luce meridianâ clarius apparet, vel inde, quod ritus isti nihil aliud fuerunt, nisi tentamenta veræ contritionis & respiciendi.

V. Verùm cum non ignorent Iesuitæ, turpe esse, ut vulgò dicitur, juristam sine textu loqui: turpius sanè fore videtur, si Theologus sine textu loquatur, non dico Aristotelis, hunc enim nimis large proferrunt, sed nostro, nimirum sacrae scripturæ. Quare ne hoc turpitudinis vitium incurrant, dicta quædam S. S. sui erroris confirmandi gratia nobis opponunt. Callent enim S. Scripturam perinde ac ille Matth. 4. & in eodem ludo planè videntur edocti, si utrumq; intuearis. Quemadmodum enim hic, quæ sibi incommoarent, omisit: ita & illi, quæ non sunt è re sua, faciunt omninò missa.

VI. Quod videre est, quando illud Matth. 16. v. 19. ambabus manibus arripientes (non enim attendunt, quid Matth. 18. v. 18. & Joh. 20. v. 23. habeatur) pro suo arbitrio interpretantur, ut inde speciem quandam probationis præendant, affirmando; Soli Rom. Pontifici, instar D. Apostoli Petri successoris, hanc de indulgentijs potestatem à Christo esse concessam.

VII. Sic enim Bellarminus, falsum est, inquit, in scripturis nihil dici de clavibus Soli Petro traditis, cum discretis verbis Dominus id ipsum affirmet. Hinc pleriq; omnes Antesignanum suum secuti finxerunt Iesuastri: Si soli petro potestas clavium est tradita, sequitur earundem potestatem quoq; habere Pontificem Rom. Rogati vero,

Lib. 2. c. 10.  
de indulgentijs.



unde in hujus potestatis possessionem veniat, ex successione, inquit, Petri Apostoli.

VIII. Verum enim verò, quam ficulneum & elumbe sit hujusmodi argumenti genus, ex sequentibus patescit. 1. enim quis non videt, eos in hoc committere insignem principij petitionem, dum hoc, de quo inter nos & ipsos controvertitur, probationis loco sibi sumere non erubescant. Nos enim non soli Petro, sed sub ejus nomine omnibus apostolis, pro quibus Petrus Christo quærenti respondebat, claves traditas & commissas esse, cum scriptura asserimus. Corruit itaq; illud, quod pro indubitato ponunt, tantum abesse, ut ex successione, quæ inter nos & illos maximè in controversiam venit, quicquam probationis sibi polliceri possint.

IX. 2. Committunt fallaciam compositionis & divisionis, negligentes collationem locorum S. Scripturæ. Quas enim claves Christus prius promisit Petro dandas, illas præbuit vel exhibuit, quando post resurrectionem, contulit potestatem remittendi & retinendi peccata, non uni & soli Petro, sed in commune omnibus Apostolis. Et si maximè poneremus, quod tamen non est, solum Petrum accepisse illam super omnes Ecclesias potestatem infinitam: an verò propterea eam sedi Romanæ alligavit, ut qui hanc occuparet sessione, illius quoq; particeps redderetur alligatione?

X. Traditas esse Petro, nomine omnium, claves regni cælorum, inficias quidem ire non possumus, sed quomodo eas usurparit, passim patet ex Locis S. Scripturæ (a): In quibus nihil de jejuniis suscipiendis: nihil de pecunia ad præscriptam taxam numeranda: nihil de satisfactionibus vel sanctorum vel proprijs, quas quisq; post acceptam peccatorum absolutionem impleat.

XI. Porro si Pontifex Rom. eadem absolutionis formâ uteretur, qua D. Petrus Apostolus, esset, quamobrem gloriaretur de potestate conferendi indulgentias Ecclesiæ concessa. Verum illud non fieri, ex sequenti antithesi tam manifestum evadit, quam quod manifestissimum. Christus enim traditis Petro clavibus dicit: Quicquid solveris, erit

a) Act. 4. 12.  
c. 10. v. 43.  
c. 8. v. 20.  
c. 15. v. 10.

ris, erit solutum: quicquid ligaveris, erit ligatum: hic nihil de peccatis, certâ pecuniâ taxâ vel satisfactionibus, redimendis, sed gratis solvendis & absolvendis dicitur. Deinde his verbis innuitur plenaria peccatorum aut remissio aut retentio. Papa vero post absolutionem peccatorum, partem aliquam reservat ligatam ad proprias satisfactiones & pœnas, vel in hac vita, vel in igne purgatorio persolvendas.

**XII.** Deinde, quicquid, inquit Christus, solveris super terram; ostendens in hac vita adhuc superstites debere absolvi. Papa vero indulgentiis suis penetrat infra terram usq; in purgatorium, atq; ibi mediante pecunia, jejunio, satisfactionibus, &c. absolvit. Hinc omnibus est conspicuum, quantus sit inter hos dissensus, quanta dissimilitudo, quantum demum discrimen. Quare non est, quod tanto perè urgeant adversarij hunc locum, & ad suum errorem confirmandum detorqueant, quoniam nihil commercij cum illo habere satis est demonstratum.

**XIII.** Postremò quæcumq; Deus præcepit, ea tantum sunt faciendâ (a). De filio autem suo dicit Pater: Hanc audite (b) id est, doctrinam ejus accipite, cognoscite, alijsq; cognoscendam proponite. Jam verò ex S. Scriptura apparet luculenter, Christum absq; ulla mentione indulgentiarum, quæ præterij interventu redimendæ forent, pœnitentes peccatores ita absolvisse: Confide fili, remittuntur tibi peccata (c). Fides tua te salvam fecit (d). Vade & posthac ne peccaveris (e). Quâ absolutionis formâ illi plenissimè fuerunt liberati, cum à culpa, tum à pœna æterna non minus, quam temporaria, quantumvis aliam satisfactionem ijs non imponeret: quam deinde absolutionis potestatem & formam suis apostolis, eorumq; successoribus concessit & mandavit. Eadem igitur etiamnum in Ecclesia Christiana vigere debet, atq; usurpari à Christi ministris.

**XIV.** Quare cum Pontificias indulgentias in nullo S. Scripturæ loco fundatas, neq; in veteri & vera Ecclesia usum habuisse ullum, nec ab Apostolis traditas, neq; ab ipso Christo usurpatas, sed mandato  
ejus

a) Deut. 4. 2.  
& 12. v. 23.  
b) Matt. 17.  
v. 5.

c) Matt. 9. 2.  
d) Luc. 7. 50.  
e) Ioh. 8. 11.

ejus contrarias, superioribus dedimus probatū; sequitur à Christo easdē Ecclesiæ aut Pontifici Rom. non esse concessas, sed propria autoritate, aucupanda pecuniæ causa introductas, & propterea execrandas. Tantum ad primum primi erroris membrum.

**XV.** Quod alterum attinet, ut aliquam autoritatem, quam ex S. S. probare nequeunt, figmento suo concilient, populo Christiano indulgentiarum usum maximè salutarem esse fingunt, atq; exinde, necessitatem iis affingunt, quam nudo atq; ex pelvi misso anathematis fulmine armatam, argumentis ne quidem in speciem probabilibus suffultam, Ecclesiæ obrudere, conscientijs inde laqueum neclere, easq; vanâ & falsâ spe lactare, admodum laborant Pontificij.

**XVI.** Verum non modò non salutes, sed etiam homini Christiano maximè perniciosas esse venales illas indulgentiarum merces, sequentia edocent. Nam si pecunia, & satisfactio vel nostra vel sanctorum, Christi merito tanquam semipieno & gradibus quibusdam deficienti esse assuenda, tum debilitatur & enervatur sanè Christi satisfactio. Sic magnam cladem recipiunt claves regni cælorum, atq; perversâ hac de indulgentijs opinione, à Jesuitis fædè & perniciosè adulterantur, docendo remissionem omnis pœnæ simul & culpæ non gratis à Christo per fidem quærendam, sed pretio à Rom. Pontifice redimendam esse.

**XVII.** Hos & reliquos fidei Christianæ articulos, quos brevitate causa omittimus, cum ita conspurcent Pontificij, ipsosmet anathemati addictos volumus tantisper, dum non à veritate, sed erroris & seductionis illo Spiritu se hinc inde duci patiuntur.

Gal. 1. 8.

Aug. cont.  
Petiliani li-  
teras lib. 3.  
cap. 6.

**XVIII.** Ex his jam constat, indulgentiarum Pontif. nundinationem Ecclesiæ nec concessam, sed potius prohibitam: neq; salutarem, sed maximè esse perniciosam. Unicâ igitur illâ sententiâ Augustini quæ cum illâ Pauli coincidit, error hic profligari potest: Qui, si quis, inquit, de quacunq; re, quæ pertinet ad fidem, vitamq; nostram, vel angelus è cælo vobis annuncia verit, præterquam quod in scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.

Secundus

## Secundus Error.

Indulgentiæ valent pro defunctis per modum suffragij. Per indulgentias relaxantur non tantum pœnæ in hac vita, sed etiam in purgatorio.

### REFUTATIO.

I. Hoc sibi volunt Pontificij, animas defunctorum posse juvari suffragijs viventium, id est, Eleemosynis, jejunijs, precibus, sacrificijs missarum, alijsq; pijs operibus. Dubium enim nullum esse arbitrantur, quin suffragia illa prosint defunctis, quia fideles defuncti, conjuncti sunt cum fidelibus viventibus ejusdem fidei & charitatis vinculo, ut unam Ecclesiam & unum corpus efficiant.

II. In hoc errore refutando breviores erimus, tum quia fundamento antea sublato, simul eversa erunt, quæ huic superstructa sunt omnia: tum quia chamæleonte & cothurno mutabiliores videmus ipsos adversarios, ut patet ex Bellarm: nam modo ait, modo negat, suffragia vivorum posse defunctos juvare: & ita pudendum in modum implicat seipsum, licet quibusdam in locis turpissimum hunc errorem à se amoliri conetur.

III. Detestanda sanè impietas & execranda blasphemia est in meritum Christi, quando finguntur quidam justificati morientes, qui tamen nondum sunt à peccatis coram Deo plene justificati & per purgati. Nam S. Scriptura multò aliter censet & de justificatis pronuntiat, quòd pacem habeant cum Deo (a); quòd beati sint, quorum remissa sint iniquitates (b); peccatori penitenti sic remittantur peccata, ut Dominus illorum non recordetur (c); quòd nulla sit condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu (d), quòd fide in Christum non videant mortem (e); etiamsi mortui fuerint, vivent (f); quòd beati sint, qui in Domino moriuntur. (g)

IV. Quæ quia de justificatis omnibus enunciantur, extrema erit impietatis affirmare, Deum peccatorum, quæ perpetraverant, etiam post illorum mortem, ita recordari efficaciter, ut propterea animas

B

eorum

Bellarmin.  
lib. 1. c. 14.  
de indulg.  
Sylvest. Pri-  
erias. Bulla  
Leonis de-  
cimi. Cõp.  
Theol. lib.  
7. cap. 6.

lib. 1. cap. 2.  
& 3.

a) Rom. 5. 1.  
b) Ps. 32. 1.  
c) Esa. 43. 12.  
d) Rom. 8. 1.  
e) Joh. 8. 51.  
f) Joh. 11. 25.  
g) Apoc. 14. 13.  
v. 13. 13. 13.

eorum tormentis subijciat, à quibus liberandis suffragia viventium ferrent suppetias, contra scriptura S. gravissimum pronunciatum.

V. Quod autem suffragia illa (ut vocant Pontificij) attinet, merentur quidem illa suam laudem, sicuti & alia bona opera piorum ex fide profecta, quæ ut fructus veram sequuntur penitentiam. Nam Eleemosynæ & jejunia non tantum mitigare, sed etiam possunt interdum tollere pœnas temporarias. (a) Quocirca his quoq; suam constare retributionem affirmat S. scriptura (b), non quæ à dignitate propria, sed favore Dei dependeat, qui tanta est benignitatis, ut filiorum suorum opera neq; in hoc, neq; in altero seculo velit irremunerata. (c)

a) Dan. 4. 24

Ion. 3. 10.

b) 1. Tim. 4.

v. 8.

c) Matt. 6. v.

4. & 25. v.

34.

VI. Non autem valent pro defunctorum animabus liberandis, quia mortui non habent partem in hoc seculo, & in omni opere, quod sub sole geritur, ut Ecclesiastes cap. 9. v. 6. habet. Jam verò indulgentia dantur in hac vita & sub sole exercentur: Idcirco mortuis prodesse nequeunt.

VII. Nec Pontifici: missarum sacrificia, per modum suffragij commodare defunctis quicquam possunt: quia cum Deus tot tamq; diversas sacrificiorum species, populo suo per Moysen curavit præscribendas, quæ quæso factum est vel oblivione vel incogitantia, ut pro miseris animabus è cruciatibus ignis purgatorij liberandis, ne una quidem oblationum species ordinaretur.

VIII. Quod ad preces; non diffitemur, illas pro alijs institundas (a). Sic Abraham oravit pro Sodomitis (b). Moses pro populo suo (c). Samuel spondet se non cessaturum orare ad Dominum pro populo Israelitico (d). Et Paulus in exedij Epistolarum pro ecclesijs suis indefinenter oravit. Verùm in densissima hac exemplorum nube, nulla extat vox, nulla litera aut syllaba de oratione viventium pro defunctorum animabus.

a) 1. Tim. 2. 1.

b) Gen. 18. v.

24.

c) Exod. 32.

v. 12.

d) 1. Sam. 12.

v. 23.

e) Rom. 1. 10

Ephes. 1. 16.

Phil. 1. v. 9.

Collof. 1. 3.

IX. Quod verò objiciunt Antichristianæ impietatis satellites; fideles, qui ex hac vita discesserunt, nobiscum esse ejusdem fidei, & membra ejusdem corporis; neq; hoc inficiamur. Nam sicut unus est Deus, una fides, unum baptisma, una justitia & vita æterna, ita quoq;

sumus.

sumus unum in Christo, & omnes communiter, similiter & ex aequo, gratiâ Dei, per meritum Christi, fide accipimus remissionem peccatorum. Per eundem itaq; Christum, & non per modum suffragij, nos salvatum iri credimus.

X. In secundo erroris membro, quando mentio fit pœnarum, non ab ijs intelliguntur morbi, mors, ignorantia, concupiscentia, quæ sunt naturales: neq; bellum, pestis, fames, quæ sunt fatales & flagella divinitus immissa, quæ non subsunt ecclesiæ clavibus: sed personales, quas, remissâ culpâ, homo debeat in foro secreto & pœnitentiali, vel sponte susceptas, vel à Sacerdote impositas; à quibus liberetur per indulgentias.

XI. Verùm quanta sit absurditas hujus dogmatis, patet ex præcedentibus, ubi dedimus testatum, homini justificato & à peccatis absoluto, nullum restare pœnarum vel sponte suscipiendarum, vel à sacerdote aut quocunq; alio imponendarum vinculum, pro quo solvendo opus sit indulgentijs. Si enim hisce expientur & tollantur residuæ pœnæ, vel in hac vita, vel in purgatorio luendæ, sequeretur omninò, gratiam Dei nos justificantis, non exuberare supra peccatum.

XII. Atq; sic etiam indulgentijs, non misericordiæ Dei ascriberentur mitigationes calamitatum in hac vita. Verùm illi Paulus (a) huic Jeremias affirmat contrarium (b). Quod cum ita sit, quis (malum) furor est fingere, Deum miseris animas diris & horrendis tormentis, magnitudine cruciatuum, cum Gehennæ supplicijs, comparandis affligere, excruciare atq; torrere, quæ non nisi per indulgentias relaxentur.

### Tertius Error.

Thesaurus indulgentiarum est meritum Christi. B. Virginis & omnium sanctorum.

### REFUTATIO.

I. In hoc errore asserunt Iesuastri, non paucos homines sanctos, multò plura propter Deum & justiciam esse per pessos, quam exigeret reatus pœnæ temporalis; ut sunt B. Virgo Maria, quæ ab originali &

B 2

actuali

Extravag.  
lib. 5. tit. 9.  
cle. 6.  
Bellarm. lib.  
1. c. 2. de in-  
dulgentijs.

actuali peccato immunis, plurima sit passa, cum tamen nulla egerit satisfactione. Simili modo Iohannes baptista, qui in utero matris sanctificatus, severe & duriter vixerit, & tandem pro veritate obturcationem capitis passus sit. Sic alij sanctissimi Prophetae, Martyres & Eremitae, qui vitam egerint asperissimam, quos non sit dubium, in hoc spirituale ararium multum omnino contulisse satisfactionum.

II. Hinc Thesaurum in Ecclesia extare spirituales, ex passionibus Christi & sanctorum omnium conflatum autumant. Quo Thesauri nomine nihil intelligunt aliud, nisi passiones, quibus non egerint ad propria delicta expianda, qui eas sunt perpessi: nec tamen illae sint inanes aut oblivioni traditae, sed permaneant ante oculos Dei, quarum participes reddantur rei poenae temporalis luenda.

III. Verum hac in parte iterum non leviter impingunt, sed blasphemiam committunt in satisfactionem Christi, comminantes, quandam aeternarum poenarum, in purgatorij temporales, commutationem, quae citra respectum meriti Christi contingat, & operibus supererogatorijs per indulgentias aut veniarum literas, cum alijs communicatis tollatur. Quod quam falsissimum esse, in progressu ostendimus, rubiginosum illum thesaurum in nihilum redigendo.

IV. 1. Quod B. Virgo omnis peccati & labis fuerit expers, negamus constanter, manifestis frecti testimonijs ex S. S. petitis. Nam quod natum est ex carne, caro est (a), id est, peccato obnoxium & damnationis reum. Et quis dabit mundum de immundo (b)? Per unius (Adami) delictum propagatum est malum in omnes homines (c). Quid est homo, ut mundus sit & justus, qui natus est de muliere (d). Nisi itaq; praeter omnem rerum seriem sine virili semine B. Virginem de Spiritu S. conceptam & natam ostenderit, sponte corruere, conjecturas & somnia Bellarmini, vel puero erit conspicuum.

V. His addi possunt demonstrationes, ex ipsa annunciatione conceptionis Christi, Mariae per angelum facta: in qua eam nominat

xxviii

καταστρέψεν, quæ gratiam invenerit apud Deum (c). Et ipsa Maria se ancillam Domini, hac tantâ ejus gratiâ indignam agnoscit, quod & in cantico confitetur inquit (d): Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Quæ testimonia angeli Gabrielis & Mariae omnium exceptione majora, merito somnijs Pontificiorum de sanctitate & ἀνεκάρησις Mariae derogant.

c) Luc. 2. 28.  
30. 38.  
d) v. 48.

VI. 2. Idem judicandum est de Johanne Baptista & alijs sanctis, qui licet coram hominibus, talem egerint vitam, quæ in reprehensionem non incurreret, & electa Spiritus sancti Organa essent: tamen ipsis quoque orandum fuit pro remissione peccatorum (e): Domine ab occultis meis munda me (f): ne intres in iudicium cum servo tuo (g).

g) Pf. 32. 6.  
h) Pf. 19. 13.  
i) Pf. 143. 2.

VII. 3. Neque sanctorum unquam quisquam aut scriptum reliquit, aut cogitationem hanc suscepit, aut per febrim cuiquam incidit, afflictionibus suis hoc retribui præmium, ut illæ essent, aut pro aliorum delictis, aut proprijs satisfactoriæ. Quod si uno apice & syllaba demonstrarit Iesuita ex S. S. palmam ultrò ei concedemus absque controversia. Verum prius pariet bovem locusta, quam id dabit effectum.

VIII. Præterea si quis eorum omnia, quæ in lege Dei sunt mandata, perfecte & plenè fecisset, non tamen propterea actiones & passionibus eorum in hac vita exantlatæ, essent meritoria dicendæ: quia si maxime omnia fecimus, tamen servi inutiles (k); imò omnes iustitiæ nostræ sunt instar panni menstruatæ (l).

k) Luc. 17. 10  
l) Ef. 6. 4, 10.  
m) Ro. 3. 23.  
n) Reg. 8. 46.  
i. Jacob. 3. v. 2.  
n) Act. 15. 10.  
Rom. 7. v. 14.  
c. 8. v. 3-7.

IX. Cum itaque omnes sint peccatores (m), nec quisquam legem Dei implere possit (n), tantum quoque aberit, ut aliorum delicta possint expiare, ut ne quidem pro suis quisque peccatis iusta Dei iudicio satisfecerit. Nam immutabilis & æterna Dei iustitia, peccatis cujuslibet offensa, loco satisfactionis requirit æternas, immutabiles, & pœnas nunquam aesturas. Concludimus ergo Sanctos non esse tam multa, nedum plura perpessos, quam ipsorum peccata roquirerent: & proinde collabitur & planè pessum it rubiginosus ille indulgentiarum Pontif. Thesaurus, ex operibus Sanctorum supererogatorijs conflatum.



*Quartus Error.*

Platina in  
vita Boni-  
facij Oſta-  
vi.

Extravag.  
lib. 5. tit. 9.

Bonifacius Octavus, anno Christi 1300. Iubilæum Romæ celebrandum, centesimo quoq; anno instituit, & ipse primus eodem anno celebravit, quo plenam delictorum omnium remissionem, largasq; indulgentias his, qui limina Apostolorum visitassent, concessit. Et ab eo tempore tantoperè prædicatus fuit in regno Pontificio, ut propter ejus summam utilitatem, circa annum Christi 1475. ad 25. quemq; annum celebrandum, jubilæum traduxerit, P. R. Sixtus quartus.

REFUTATIO.

I. *Novum & subinde aliud indulgentiarum excogitarunt Romæ Pontifices aucupium, ut quæstui suo majorem adjungerent accessionem. Nam anno Iubilæo data, omnium carissime sunt vendita indulgentiæ, quoniam fuerunt plenariæ, ita ut illis acceptis, tuti & securi à pœnis purgatorij redderentur homines, & sine omni planè ignis cruciату, rectâ ad cælum evolarent eorum animæ.*

II. *Præterea tantos pœnitentiæ fructus, tot hominum sceleratorum conversiones, tam multa & præclara pietatis opera, indulgentiam illam præcedere & comitari asserunt, ut annus ille sanctus, placabilis Domino, germinans & fructuosus (quod nomine jubilæi innuitur) possit meritò appellari.*

III. *Verùm ut & hujus erroris nervi conscindantur, dicimus, Iubilæum Pontif: non à Deo institutum, nec ab Apostolis usurpatum, sed à Bonifacio Octavo κακογνῆτα legis Mosaicæ, & humana intentione excogitatum & in Ecclesiam introductum. Longè enim alia apud Iudæos fuit Iubilæi ratio, quamobrem ejus quinquagesimo quoq; anno instituerint memoriam; nimirum ut si qui servituti fuerant addicti, libertati pristinae redderentur, & debitores à creditoribus laxarentur.*

IV. *Quare ita argumentari, est plures terminos immiscere, à soli ad forum poli progrediendo. Nam in politica Mosaica propter causas merè*

Levit. 25.  
& 27.

merè politicas, non propter remissionem peccatorum coram Deo pro-  
merendam, ordinatus est annus Iubilæus, siquidem hujus non tan-  
tum quinquagesimo anno, sed singulis annis, diebus, adeoq; horis singu-  
lis, particeps fieri potuit populus Dei: istarum verò non item.

V. Quod si porrò urgent; peregrinationes Romam usq; suscipien-  
das; Basilicas aut limina Apostolorum visitanda, ibiq; orandum, ut  
illorum meritis veniam & indulgentias peccatorum adipiscantur ho-  
mines; ex defunctis idola constituunt, & horribilem committunt im-  
pietatem. Tantum enim abest, ut horum exemplum aut mandatum  
in sacris literis habeamus ullum, ut etiam maximè hæc omnia a ver-  
sari seriò nos adhorretur Salvator ipse (a). Si dixerint vobis, ecce hic  
est Christus aut illic, nolite credere: ecce in deserto est, nolite exire.  
Et (b) veniet tempus dicit Samaritanæ, quando neq; in monte hoc,  
neq; Hierosolymis (& sic nec Romæ) adorabitis patrem, sed veri ado-  
ratores in spiritu & veritate adorabunt eum.

a) Matt. 24.

v. 24. & 27.

b) Joh. 4. v.

21.

VI. Peregrinationem quandam à nobis instituendam dicit quidem  
Christus: (c) tu cum oraveris, introito in conclave tuum, & ocluso  
ostio, ora patrem tuum, qui est in occulto, & pater tuus, qui videt  
in occulto, persolvet tibi in propatulo. Sed prob sancte Deus, hæc  
quantum distat ab illa! nihil enim hic de Roma: nihil de Basilicis aut  
luminibus Apostolorum. Sic D. Paulus supersticiosam; certorum  
quorundam locorum differentiam planè tollit (d) in omni loco orare  
permittens, absq; ira & hæsitazione. Quemadmodum hæc de re præ-  
cedenti actum disputatione.

c) Matt. 6.

v. 6.

d) 1. Tim. 2.

v. 8.

VII. Quare si quis plenaria & coram Deo valente potiri desiderat  
justitiã aut peccatorum veniã, illi non opus est, ut se conferat Ro-  
mam, quoniam ea nobis in Evangelio proponitur, & ad fores quasi  
perfertur, sicuti scriptura (e) innuit, propè te, inquit, est verbum  
in ore & corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus &c: In  
quam sententiam D. Augustinus refert: Non dicit Deus, vade in  
orientem & quære justitiã, naviga usq; ad occidentem, ut accipias  
indulgentias. Dimitte inimico tuo & dimittetur tibi, indulge & in-  
dulge.

e) Deut. 30.

v. 11. 12.

Rom. 10. v.

8. & 9.

Aug. serm.

de martyri-

bus.

dulgebatur tibi. Non opus est querere peccatorum tuorum indulgentiam, si vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire.

VIII. Quæ cum ita sint, non sanctus erit Iubilans Pontif: appellandus, sed damnabilis: non Domino placabilis, sed abominabilis: non germinans & fructuosus, sed sterilis & calamitosus. Nam qui ejusmodi instituit peregrinationes, ille uxorem domi pauperulam interim relinquit, liberos suæ curæ commissos negligit, munus vocacionis suæ omittit, pecuniam diuturno labore partam consumit. Poterat autem hæc jactura aliquo modo tolerari, ni de perpetua salute periclitaretur anima, damnatis opinionibus imbuta.

#### CAPUT SECUNDUM.

#### De cruce & afflictionibus Ecclesiæ.

##### Primus Error.

Gratus Deo est cultus, si quis seipsum affligat abstinentiâ cibi. Item: si quis seipsum cædat virgis: hæc flagellationes, satisfactiones pro peccatis sunt, quare etiam in passionali septimanâ in Italia venduntur.

#### REFUTATIO.

I. Abstinentia cibi per & propter se non est cultus Dei, quia regnum Dei non est cibus & potus, sed justitia, pax & gaudium in Spiritu S. & in his, qui servant Christo placet Deo (a). Et esca non commendat nos Deo, neq; enim si manduca verimus, quicquam nobis deerit (b). Imprimis, quando superstitionem hanc sibi habet adjunctam, ut opinio impia meriti, justitiæ & satisfactionis pro peccato illi affingatur, tunc DEO acceptus esse nequit; sed illum planè rejicit & abominatur (c).

II. Quando verò aliquis ita se abstinet à cibo ac potu, ut caro coerceatur, subigatur & in servitutem redigatur, ne spiritui oblectetur, ejusq; actiones sua intemperantia interturbet, sed ut mens fiat aptior ad effectus spirituales, & eo ardentius & liberius totum se spiritus dedere & vacare possit pœnitentiæ, orationi & reliquis pietatis exercitijs, tunc ille cultus Deo gratissimus verè dicendus.

III. Hanc

Conc. Trid.  
Sess. 14. c. 9.

a) Rom. 14.  
v. 17.

b) 1. Cor. 8.  
v. 8.

c) Esa. 58. v.  
3.

III. Hanc enim cibi & potus moderationem præcipit Sacra Scriptura, ne corpus, ut animæ jumentum, sicut veteres loquuntur, vel nimia repletionem vel nimis delicata tractatione impinguatum, mentem obruat aut cor gravet (d), & dies Domini repentinus nos opprimat, sed ut Diabolo (e), sobrietati studentes, possimus resistere.

d) Luc. 21, 34.  
1. Theff. 5, v.  
6. & 8.

IV. Hac coercendi carnem exercitia, sciamus & debita & oportere esse perpetua, non ut sint compensationes pro peccatis antè commissis, sed ut eadem deinceps arceant. Verùm præscriptio illa certæ formæ aut ciborum certorum, cum sit traditio humana, pertinet ad regulam: frustra me colunt mandatis hominum (f). Et tantum de abstinentia cibi.

e) 1. Pet. 5, v.  
8. c. 4. v. 7.

f) Matt. 15.  
v. 9.

V. Quod porrò flagellationes Jesuitarum attinet, ut & illas levi, quod ajunt, brachio attingamus, scito, lacerationes corporis, sine mandato Dei accersitas, non solum pro satisfactorijs non esse habendas, sed ne quidem ab homine suscipiendas. Nam Sacra scriptura, si quis, sicut sacrificuli Baal, vulnere a sibi ipsi infligat, opus illud, ceu Deo abominabile damnat (g). Et aperte prohibuit Deus in decalogo: non occides.

g) 1. Reg. 18.  
v. 28.

Levit. 19, 28.  
Deut. 14, 1.

VI. Quia Deus hanc nostram vitam nobis dedit, & mirificam omnium partium atq; sensuum harmoniam Dei opus atq; donum esse constat: ideoq; reverenter tractari & servari vult hominum naturam, nec majores ultrò accersere calamitates, sed rectè & placidè ferre nos jubet (h) eas, quæ per peccati miseriam, etiam non accersitæ, sese nobis offerunt.

h) Matt. 6, v.  
34.

### Secundus Error.

Tanta est divinæ munificentiae largitas, ut non solum spontè susceptis à nobis pro vindicando, aut sacerdotis arbitrio pro mensurâ delicti impositis, sed etiam quod maximum amoris est argumentum, temporalibus flagellis à Deo inflictis & à nobis patienter toleratis, quod Deum patrem per Iesum Christum satisfacere valeamus.

Trid. Conc.  
Sess. 14. c. 9.

C RE-

## REFUTATIO.

**I.** *Ad primum erroris membrum stabiliendum, inferunt etiam præter alia, dictum Pauli (a): Si nos ipsi judicaremus, non judicaremur. Hinc nostras spontè impositas castigationes statuunt satisfactiones, quibus manum Dei præveniamus, ut Bellarm. loquitur, & à judicio ejusdem liberemur.*

a) 1. Cor. 11.  
51.  
lib. 2. cap. 1.

**II.** *Verùm hac mente & sensu verba Apostoli non esse prolata, inde conspicuum est, quia utitur voce ejusmodi, quæ denotat, inquirere aut dijudicare, q. d. si nos judicaremus, id est si nos accusaremus & castigaremus vero dolore, mortificantes nos ipsos quæ ad interiorem hominem, & excutientes pravas cupiditates convertereremur, tunc à Deo temporalibus pœnis non obrueremur.*

**III.** *Nam S. Scriptura testatur, verà pœnitentiã aut planè tolli, aut saltem mitigari pœnas hujus vitæ, si modò pœna est dicenda. Prout enim medicinam illam cuiq; fidelium salutare & utilem esse Deus optimè novit, ita pro suo paterno erga nos amore & judicio eas dispensat & moderatur. Fidelis siquidem Deus est, qui tentationi aut castigationi talem largitur exitum, ut quidem premantur pœ, sed*

b) 1. Cor. 10.  
v. 13.

*non opprimantur (b).  
IV.* *Quod ad secundum: verus quidem & laudabilis mos fuit in Ecclesia, lapsos non recipi, nisi prius castigatos, cum ut alij admoniti, eò meliorem & magis inculpatam agerent vitam: tum ut explorarentur animi, an seriò dolerent peccata sua commissa. Neq; omnibus (quod voluit Pontificij) sed tantum publicis & gravissimis criminibus, quibus universa fuerat offensa Ecclesia, imponebantur à Presbytero publica castigationum spectacula.*

**V.** *Hanc castigationis & explorationis ritum non improbamus: imò optarem eum graviter observari, sine superstitione & immodicis oneribus. Sed quoniam canones multarum postea accreverint & falsa hæc accesserit persuasio, ex opere operato homines consequi remissionem peccatorum, meritò illum ritum reprehensione dignum judicamus.*

judicamus, & non injuriè detestamur, & satisfactorium minimè gentium concedimus.

**VI.** Tertio: ut summum, quod ajunt, fastigium tandem imponamus, certum est, afflictionum à Deo impositarum multas esse causas, quibus jam enarrandis super sedebimus, quia in orthodoxorum libris ex professo tractantur, & tamen nullibi fit mentio, flagella divinitus immissa esse satisfactoria. Ut autem de cruce eò melius sit judicium, addemus quatuor ejus genera, quibus observatis, adversariorum opinio nullo negotio poterit refutari.

**VII.** 1. Sunt *nuweia* seu pœnæ certorum delictorum, ut exilium Davidis, quæ non sunt compensationes, sed opera justitiæ divinæ, quibus vult Deus commonesieri homines, ut considerent ipsum verè & se verè irasci peccatis. 2. Sunt *donuasta*, seu probationes, cum non propter certa delicta, sed exercendi & confirmandi gratia affliguntur p̄j, ut carcer Ioseph. 3. Sunt *paetrveia* seu supplicia sanctorum, de ipsorum doctrina & confessione testificantia, ut Prophetarum & Apostolorum supplicia. 4. Est *λῆξον* seu satisfactio pro peccatis nostris, qualis est solius filij Dei obedientia, in omnibus ipsius afflictionibus & morte pro nobis præstita.

**VIII.** Per hanc Christi satisfactionem unicè & solidè habemus plenariam ab omnibus peccatis & eorundem pœnis liberationem (a). Quare nostræ actiones aut passionis vel sponte susceptæ, vel à sacerdote (judicio Pontif.) impositæ, vel à Deo inflictæ, non sunt satisfactoria: & sic ociosum erit captare Pontificis indulgentias, ad consequendum id, quod jam pridem Christus acquisivit, & per fidem applicat singulis & universis in Evangelio.

**IX.** Hæc pauca ex erroribus Pontif. de indulgentijs nimirum & Ecclesiæ calamitatibus, hac vice delibasse sufficiat. Quod superest, Deum ter Opt. Max. rogamus, ut sicut tempore Eliæ, cum cultus Baaliticus fraude & vi omnia occupasset, & Elias, se solum relictum, conquereretur: Deus tamen plures quam septem millia sibi reservavit,

a) Esa. 43.

v. 24. c. 53.

v. 6. c. 63. v. 3.

Ioh. 1. v. 29.

c. 3. v. 16.

Act. 20. 28.

Rom. 5. 10.

c. 8. v. 32.

2. Cor. 5. 15.

Col. 1. v. 20.


1. Tim. 1. 15.

c. 2. v. 6.


1. Ioh. 2. v. 2.

vir, qui genua sua non curvaverant coram Baal: ita in medijs Pontificiarum superstitionum tenebris, semper quorundam mentes illustret, & conservet, quò detectis toti orbi indulgentiarum imposturis, mensæ illæ nummulariorum, sine vi, solo S. S. gladio subversa corruant, & vera Evangelij doctrina apud nos sarta tecta maneat. Hoc faxit Deus Trinus, cui laus, honor, virtus & gloria per omnia secula,  
AMEN.









judicamus, & non injurię detestamur, & satisfactium concedimus.

**VI.** Tertio: ut summum, quod ajunt, fastigium, certum est, afflictionum à Deo impositarum quibus jam enarrandis super sedebimus, quia in ex professo tractantur, & tamen nullibi fit mentio immissa esse satisfactoria. Ut autem de cruce eò addemus quatuor ejus genera, quibus observatio nullo negotio poterit refutari.

**VII.** 1. Sunt *πρωκτα* seu pœna certorum delictorum vidis, quæ non sunt compensationes, sed opera justitiae, quæ Deus commonefieri homines, ut considerent irasci peccatis. 2. Sunt *δοκιμασται*, seu probatio propter certa delicta, sed exercendi & confirmandi sicut ut carcer Ioseph. 3. Sunt *μαρτυρια* seu suppliciorum doctrina & confessione testificancia, ut Prophetarum supplicia. 4. Est *λογω* seu satisfactio qualis est solius filij Dei obedientia, in omnibus in morte pro nobis prestita.

**VIII.** Per hanc Christi satisfactionem univ. plenariam ab omnibus peccatis & eorundem pœnarum. Quare nostra actiones aut pœnes vel sponte sicut dote (judicio Pontif.) impositæ, vel à Deo infliguntur: & sic ociosum erit captare Pontificis indulgentiam id, quod jam pridem Christus acquisivit, & pœnis & universis in Evangelio.

**IX.** Hæc pauca ex erroribus Pontif. de ind. Ecclesiæ calamitatibus, hac vice delibasse sufficit. Deum ter Opt. Max. rogamus, ut sicut tempore Baaliticis fraude & vi omnia occupasset, & Eluconquereretur: Deus tamen plures quam septem

the scale towards document



ne gen  
impona-  
causas,  
in libris  
vinitis  
licium,  
in opi-  
m Da-  
quibus  
severè  
on pro-  
tur p̄y,  
de ipso  
Aposto-  
nostris,  
ibus &

abemus a) Esa. 43.  
v. 24. c. 53.  
nem (a). v. 6. c. 63. v. 3.  
sacer- Ioh. 1. v. 29.  
c. 3. v. 16.  
ifacto- Act. 20, 23.  
lequen- Rom. 5, 10.  
cat sin- c. 8. v. 32.  
2. Cor. 5, 15.  
Col. 1. v. 20.  
rum & 1. Tim. 1, 15.  
eres, c. 2. v. 6.  
1. Ioh. 2. v. 2,  
cultus  
lictum,  
serva-  
vit,